

» pannos, merces et res alias ad eos deferre, vel delata per eos
 » receptare, sive ad illa vehendum navigia et operas eorum prae-
 » stare quoquo modo praesumant sub similibus censuris et poe-
 » nis; et etiam nullitatis contractuum quos inirent, ac perditionis
 » mercium, victualium, et bonorum dilatorum, quae capientium
 » illa fiant et applicentur eisdem, similiter eo ipso incurrendis in
 » poenam. Insuper venetorum aliorumque monitorum non paren-
 » tium praedictorum, Venetiarum, ac omnium et singularium ca-
 » thedralium etiam patriarchalium, metropolitanarum et aliarum
 » inferiorum ecclesiarum et monasteriorum, prioratum, domorum
 » et locorum religiosorum et piorum quorumlibet abbatibus, prio-
 » ribus, canonicis, monachis etiam congregationis sanctae Justinae
 » Paduan. Lateranen. et sancti Salvatoris, necnon sancti Georgii
 » in Alega nuncupatarum ac universis et singulis ordinibus fra-
 » trum praedicatorum, minorum, eremitarum sancti Augustini,
 » carmelitarum et servorum sanctae Mariae, tam conventualium
 » quam de observantia nuncupatarum, aliorumque quorumcumque
 » ordinum et religionum prioribus, ministris, custodibus, guardia-
 » nis et aliis clericis saecularibus et regularibus quibuscumque
 » nominibus censeantur in Venetiarum, Paduan. Veronen. Vicen-
 » tin. Brixien. Tervisin. Bergomen. et aliis civitatibus, terris et
 » locis praedictis, in quibus veneti superioritate quamlibet exer-
 » cent, morantibus, districte praecipiendo mandamus, ut infra
 » quinque dies post dictos primos quindecim dies immediate se-
 » quentes exeant de civitatibus, terris et locis ipsis in quibus de-
 » gunt, ad loca ipsa minime reversuri, donec ibi veneti nostris
 » monitionibus et mandatis obtemperaverint et meruerint interdicti
 » praefati relaxationem obtinere. Et si quis de praedictis contra-
 » fecerit, si episcopi et superiores interdicti, ingressus ecclesiae;
 » si vero alii ab eisdem fuerint, excommunicationis sententiam in-
 » currant ipso facto, a qua non possint absolvi ab alio quam a
 » Romano pontifice nisi in mortis articulo constituti. Et praeter
 » hujusmodi interdictum et excommunicationis sententiam episcopi